

tenebatur: sed, ut fit saepius, quod mutua suspicione inter amantes subitæ quædam & tumultuariæ oriuntur discordiæ, ita forte accidit, ut adolescens in amicæ, quam tum oderat, invidiam cornua ad januam mariti suspenderit. Decreta super ea re quæstione, Venerius patricii hominis injuria motus, filium flagitiæ convictum, domestico judicio damnatum, in carcerem adduci jussit: ubi postea non sine ingenti civitatis dolore adolescens expiravit. Æstensis Marchio & Mantuanus eodem anno diverso tempore Venetias venerunt, ac præter hos plerique alii Principes Principumque legati, de rebus magnis cum Patribus acturi: quanquam eorum nonnulli videndæ civitatis studio venisse traduntur. Paucis interjectis annis, quibus omnino domi forisque pax fuit, Antonio Scala Veronensi & Francisco Carrario seniore inter se acri bello certantibus, Joannes Galeacius Vicecomes, cuius opes tum longe lateque pollebant, Carrario instigante, Scalanis bellum intulit, quibus prælio superatis, Veronam Vincetiamque ademit. Inde, ut sunt hominum cupiditates, quæ secundis rebus non tam facile expleri queunt, haud minori bello, quam nuper Scalanos, Patavinum aggreditur. Sunt qui tradant, Carrarium tentasse Bernabovem affinem suum vinculis liberare, quem Galeacius & gener & ex fratre nepos (quia ex Catharina conjugé comperisset, capitales illum insidias aliquando sibi comparasse) captum in Treciana arce sub custodia habebat: atque ob idipsum Vicecomitem iratum bellum intulisse. Cum eo igitur Patavinas opes oppugnanti Venetus socia arma junxit: quadringentis & amplius naviis, Jacobo Delphino præfecto, ad bellum instructis, omnia ferme oppida, munitiones, ac loca quæ in stagnis & ad fluviorum ostia ille habebat, subito accessu occupavit. Galeacius interim & ipse intra continentem non solum oppida urbi circumiecta, sed Patavium quoque paucorum mensium obsidione cepit. Franciscum seniorem in suam potestatem redactum, in carcerem trudit Medocianum. Filius, cui Novello cognomen fuit, media trepidatione elapsus, in Germaniam

con-

1382

1388

Venetus  
Galeacium  
adversus  
Scalanos  
& Carrarios  
juvat.